

ZACHARIAM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Zachariae
etymon.

Zacharias synchronus et coævus fuit Aggaeo; uterque enim cepit propheta post captivitatem Babylonicam, anno secundo Darii Hystaspis regis Persarum, ut patet ex utroque principio: proponitur tamen Aggaeus Zachariae, quia duobus mensibus ante eum cepit vaticinari, nimirum mense sexto, Zacharias autem mense octavo. Ita S. Hieronymus. Cæteri Prophetae verbales fuerunt, et Deum loquentem per verba menti suae immissa audierunt; Zacharias autem abundat visionibus et symbolis. Jam enim videt quadrigas, jam cornua, jam septem oculos, jam amphoram oculisam talento plumbi, jam candelabrum septididum, jam fabros, jam olivas, etc. Quocirca præ cæteris pariter obscurus est, profundus, varius, prolixus et enigmaticus. Symbolicus ergo est, æque ac Daniel et Ezechiel; quos secutus est S. Joannes in Apocalypsi, ac presertim Zachariam, ut in decursu patebit. Audi S. Hieronymum *ad Paulinum*: « Zacharias memor Domini sui (dicitur enim Zacharias quasi זכר יהוה *zachar ia*, id est *re-cordatus est Dei*; vel quasi זכר זעהר *ia*, id est *memoria Dei*), multiplex in prophetia, Jesum vestibus sordidis indutum, et lapidem oculorum septem, candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis, duas quoque olivas a sinistris lampadis cerat et dextris: ut post equos nigras, rufo, albo, et variis, et dissipatas quadrigas ex Ephraim, et equum de Jerusalem, pauperem regem (Christum) vaticinatur, ut prædicet sedentem super pullum filium asinae subjugalis (1). »

(1) Satis familiare fuisse apud veteres Hebræos Zachariae nomen, inde patet, quod plures eodem insigniti in veteris Testamenti libris memorantur, ita ut viginti numerantur a quibusdam in solo veteri Testamento homines, qui hoc Zachariae nomen gerant. Hinc Noster genus et majores suos adiecit nomini e re esse ratus dicendo, « filium Barachiae, filii Addo. » Jam vero cum meminisset Salvator noster, *Matth. xxiii, 35*, alioquin Zacharias, quem et filium Barachiae nominat, agitat hanc quaestio, num Zacharias, de quo Christus loquitur, noster sit Propheta? Variant sententiae interpretum: alii, nulli Zachariae

Argumentum ejus est primo, cum Aggaeo animare et urgere populum Babylone reversum ad reedificandam Jerusalem et templum. Id patet ex I *Esdrae*, v, 1: « Propheta verunt autem Aggaeus propheta, et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos, qui erant in Judea et Jerusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josede, et ceperunt edificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis Prophetae Dei adjuvantes eos. » Secundo, hor-

ria præterquam nostro Prophetae verba christi venire putant; alii propter maximas difficultates quibus subjacet ista sententia, alteram sequuntur quae statuit, Dominum nostrum de Zacharia loqui, de quo fit mentio II *Paralyt.* xxv, 20-22, et qui inter templum et altare occisus commemoratur. Illud tantum non convenit, quod Zacharias ille in Scriptura, non Barachia, sed Jojadae filius appellatur, cui objectioni tribus modis respondit. Primo, ut Hieronymus ait, Christus non ad vocem nominis, sed ad significationem respexit. Barachias enim hebraice *benedictum Domini* significat, id est hominem justum, et divina abundantem gratia, quem Jojadae sacerdotem fuisse Scriptura tota testatur. Secundo, alii Jojadae binomium fuisse putant, simulque Jojadae nomine, et Barachiam cognomen appellatum. Tertio, dici potest cum Rosenmuller, quod verba *visio Ezæchiae*, quae apud Matthæum nomini Zachariae addita leguntur, librarii alicujus errori debent (non vero cum eodem interprete quod Matthæum ipsum memoria in hac re defecit); quam conjecturam corroborat quod D. Hieronymus affirmat, se in eo Evangelio, quod Nazarenus fertur obijcit potest occurrere, quod Zacharias ille non fecit omnium Prophetarum ultimus, quem videtur Christus significare voluisse, melius autem noster Zacharias. Nam et multi potius fuerunt, et Joannes Baptista ultimus occisus. Facilis solutio est, inquit Maldonatius, voluisse Christum de illis tantum agere prophetis, quorum caedes sacris esse Litteris consignata, ne Scribae et Pharisei, a patribus suis occisus fuisse, negare possent: inter eos autem, quos in sacris Litteris occisus legitur, Zacharias ille Jojadae filius ultimus fuit. Cf. *Comment. nostri Corneli in Matth.*, et Titelmanni *Paraphrasticam elucidationem in sacrosancta Jesu Christi Evang. sec. Matth. et Joanni.*, adnot. ad *Matth. xxiii, 35*.

Argu-
mentum.

tari eandem ne idola et vilia majorum imiletur, utpote quorum punitionem, stragem et captivitatem viderint. Tertio, prædicat futuros successus et eventus varios Judæis obventuros usque ad Christum, ac presertim quatuor monarchiarum conversiones et successiones, quæ desinent in regnum Christi. Quarto, promittit Christum, ejusque vitam et mysteria ita particulatim recenset, ut historicus potius et evangelista videatur quam propheta. Recenset enim Christi regalem et triumphalem ingressum in Jerusalem, qui contigit die palmarum, quatuor diebus ante ejus passionem et mortem: item proditorem Judæ, institutionem Eucharistiae, Christi passionem, plagas manuum, descensum ad inferos, educendos patriarchas, resurrectionem et gloriam, Judæorum reprobatorem, Gentium vocationem, Ecclesiae institutionem et dilatacionem, æque ac sanctimoniam et felicitatem, persecutorum ejus punitionem et interitum. Porro hæc describit per hieroglyphica enigmata, parabolas et sententias obscuras, verèque utitur stylo prophetico. Unde S. Hieronymus in *Prologo*: « Ab obscuris, ait, ad obscuriora transimus, et cum Mose ingredimur in nubem et calliginem. Abyssum abyssum invocat in voce cataractarum Dei, labyrinthos patimur errores, et Christi cæca regimus filo vestigia (1). »

(1) In duas partes seu classes Zachariae sermones divise possunt: prior (cap. i-vii), de natura et modo restituendi regni Dei; posterior (ix-xiv), de interitu regni super totum orbem dominantis. Notandum tamen quod unaquaque pars ad alterum accedit, et in alterutra consolatorie et minantes predicationes sibi invicem succedunt. Roete etiam observat Hengstenberg (*Christologie*, Th. II, Abth. 1, sect. 2), in aliquo differre scopum Aggaei et Zachariae argumento, licet eadem pro utrisque occasio prophetandi fuerit, scilicet interruptio restaurationis templi. Et revera Aggaeus, qui prior prophetavit, Judæos ad templum reedificandum excitare intendat, dum Zacharias sibi præcipue proponat, integrum animorum commutationem in populo efficere, cujus commutationis primus fructus esset, zelus pro domo Dei reedificanda. Addit Hengstenberg Zachariam duas hominum classes alloqui, tum Judæos fideles qui divinis promissis credebant, tum Judæos incredulos et hypocritas qui e captivitate redierant, non Deo serviendi templique restaurandi causa, sed ut bona temporalia a Prophetis promissa capessere possent.

Postream hujus libri partem, id est vaticinia, quae cap. ix-xiv continentur, nonnulli recentiores Zachariae abjudicant, et vati ipso vel antiquiori, vel seniori tribuere. Hujus partis authenticitatem vindicabimus, ubi ad eam ventum erit.

Porro stylus Zachariae quandoque est prosaicus, et quandoque poetes, ut notatur omnes critici recentiores, Lowthius, Jahn, De Wette, Eichornius et Rosenmuller, qui sic ait: « In describendis visionibus, quae vati divinitus obtigerunt, quorum series inde a cap. 1, usque ad cap. vi, 15, legitur, stylo utitur plano et simplici, qualis narrationibus congruit; ubi vel aërea ætatis felicitatem, vel regnorum hostilium eversionem depingit, vel popularium improbitatem coarguit, haud caret quidem poetico ornatu et gravitate, nunquam tamen ad Isaiæ, Nabumi et Habacuci sublimitatem assurgit, vel dictionis eorum elegantiam asssequitur. Sermo est haud

Porro apposite vocatur Zacharias, id est memoria Domini: quia omnium mirabilium, quae Deus per prophetas cæteros sparsim prædixerat in hoc uno, utpote pene Prophetarum ultimo, sibi quasi memoria fecit, ut non jam mirum sit hominibus esse mirandum, quæ desinent in regnum Christi. Quarto, promittit Christum, ejusque vitam et mysteria ita particulatim recenset, ut historicus potius et evangelista videatur quam propheta. Recenset enim Christi regalem et triumphalem ingressum in Jerusalem, qui contigit die palmarum, quatuor diebus ante ejus passionem et mortem: item proditorem Judæ, institutionem Eucharistiae, Christi passionem, plagas manuum, descensum ad inferos, educendos patriarchas, resurrectionem et gloriam, Judæorum reprobatorem, Gentium vocationem, Ecclesiae institutionem et dilatacionem, æque ac sanctimoniam et felicitatem, persecutorum ejus punitionem et interitum. Porro hæc describit per hieroglyphica enigmata, parabolas et sententias obscuras, verèque utitur stylo prophetico. Unde S. Hieronymus in *Prologo*: « Ab obscuris, ait, ad obscuriora transimus, et cum Mose ingredimur in nubem et calliginem. Abyssum abyssum invocat in voce cataractarum Dei, labyrinthos patimur errores, et Christi cæca regimus filo vestigia (1). »

Martyrem fuisse Zachariam censent nonnulli: Martyrem fuisse Zachariam illum, de quo ait Christus *Matth. xxiii, 35*: « Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justus usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare. » Unde et Zacharias hic noster inscribit se filium Barachiae, fuitque penultimus Prophetarum: ultimus enim fuit Malachias; Christus autem loquitur de ultimo Propheta a Judæis occiso. Ita Vatablus, Arias, Sanchez et Hibera hic, ac S. Chrysostomus homil. 1 in *Lucam*,

adeo multi chaldaismi immixti sunt, et tamen talis, qui inclinatam linguæ hebraeae arguit etatem. De vaticiniis Zachariae obscuritate querunt et Jodel et Christiani. » Et revera propheta Zachariae quatuordecim capita complexens, est omnium prophetarum minor obscurissimus.

Qui explicandis Zachariae vaticiniis operam impenderunt, sunt: inter catholicos interpretes: Hieron. Osorii *Comment. in Zachar.*, Colonia, 1584. Translatus est in opera ejus quae lucem aspexerunt Rome, 1592; Franc. de Messana, *Paraphrasis in duodecim Prophetis Minoribus, cum lectione in Zachariam*, Antwerp, 1597; Didaci de Stunica *Comment. in Zachar.*, Salmantice, 1577; Gaspard. Sanctii *Comment. in Zachar.*, Linguae, 1616; Joannis de Reyrols *Questiones litterales et morales in Zachar.*, Parisiis, 1631.

Ex acatholicis: Jo. Jac. Grynaei *Comment. in Zachar.*, Geneva, 1581; Jo. Henr. Ursini *Comment. in Zachar.*, Francofurti, 1632; Cornelli de Hase *Analysis prophetiae Zachar.*, Bremae, 1639; Samuel. Bohli *Analyses et exegesis prophetæ Zachariae*, Rostochii, 1714; Campegii Vitringa *Comment. ad liberum prophetiarum Zachar.*, Leovardiae, 1734; Bened. Gibl. Flügge *Die Weissagungen Welche bey den Schriften des Propheten Zacharias, etc.*, Hamburg. 1784. Ejus auctoris conjecturas contra postremae partis authenticitatem impugnavit J. D. Michaelis, in *Bibliotheca Orientali* a se edita, cui haud felix successu responderet conatus est Flügge Kasteri, *Meletema critica et exegetica in Zachar. prophet.*, part. post., Gotting. 1810, ubi hujus partis authenticitatem propugnat; Ed. Forberg *Comment. crit. et exeget. in Zach. vatic.*, part. post., Coburg. 1834; Hengstenberg, *Beitrag zur Einleitung ins Alte Testam.*, Berlin, 1831, et *Christologie des Alten Testam.* th. II, Abth. 1, u.

Zachariae
rem fuisse
memoria
Dei, cur?

De *Nativitate Joannis Baptistae*, licet S. Hieronymus, Beda et alii multi censeant illum Zachariam fuisse filium Joiadae pontificis, qui alio nomine dicitur sit Barachias: hunc enim Joas rex occidit inter aedem et altare, II *Paral.* xxiv, 21. Alii, *tertio*, ut Origenes, S. Basilius, Cyrillus, Epiphanius, Euthymius, Theophylactus, quos sequitur Cardinalis Baronius et noster a Castro, censent Zachariam illum Christi fuisse patrem Joannis Baptistae, qui occisus sit a Judaeis, eo quod Virginis partum et Christi ortum praedicasset, quodque B. Virginem post partum inter virgines in templo collocasset. Verum de hoc plura *Matth.* xxiii.

De Zachariae oraculis et miraculis ita scribit Epiphanius in ejus Vita: « Zacharias propheta natus Barachia, e terra Chaldaeorum solvit, et inter proficiscendum permulta populo vaticinatus est: et demonstrationis causa multa designavit miracula. Hic est qui in os nuntiavit Ioseph: Nasetur ex te filius, qui sacris initiatus Hierosolymis sacrificabit Domino. Hic etiam benedixit Salathiel in filio dicens: Procreabit filium, et indet nomen illi Zorobabel. De Cyro quoque rege Persarum Zacharias ostentum dedit, idque ad victoriam: signum item super Creso Lydorum tyranno obiecit, necnon et super rege Medorum Astyage, deque publico ministerio, quod Cyrus rex designaturus esset Hierosolymis, vaticinatus est, laudibusque egressus illum, etc.; decessit ultima senectute in Judea, et proxima cum Aggaeo propheta humatus est. » Haec, si vera sunt,

ostendunt Prophetas permulta prophetasse quae scripto nobis non consignarunt. Nihil enim horum exstat in nostro Zachariae libro. Eadem habet S. Dorotheus in *Vita Zachariae*: « Zacharias, inquit, a Chaldaea venit, cum iam aetate esset provecta, atque ibi populo multa vaticinatus est, prodigiaque probandi gratia edidit: et sacerdotio Hierosolymis functus est. Idem et Salathiel cum filiis benedixit, et nomen Zorobabel imposuit; et Persis sub Cyro dedit victoriam cultu illius, quem facturus erat Hierosolymis, illumque vehementer benedixit. Quae vero prophetiam concernebant, vidit Hierosolymis, et de fine Gentium, de templo, de otio, de Prophetis et sacerdotibus, ac de duplici judicio exposuit. Mortuus est in senectute gravi, et sepultus prope Eleutheropolim: temporibus vero Ephidi episcopi manifestatus, quod ipse esset Zacharias filius Barachiae ejus meminit Isaias » cap. viii, 2.

Sanctorum catalogo ascriptus est die sexta septembris, ubi de eo in Martyrologio Romano sic legitur: « Zachariae prophetae, qui de Chaldaea senex in patriam reversus, juxta Aggaeum prophetam conditus jacet. » Inventum est venerandum ejus corpus sub Theodosio imperatore juniore, apparente et judicante ipso Zacharia, ut refert Sozomenus lib. ix, cap. ultimo, et ex eo Baronius anno Christi 413. Quanquam quae ibi a Judaeo accepta adduntur, ad Zachariam filium Joiadae pontificis, non ad nostrum hunc Prophetam spectant.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Proposita patrum culpa et poena, puta excidio et captivitate Babylonica, stimulat Judaeos, ut ab eorum idolis et vitis ad Deum et virtutem constanter se transferant, ne similem novamque cladem eis infligat Deus. Secundo, vers. 7, per equos nigros, rufos, varios et albos, varium Gentium, miserum vero respiciuntur status presentem representat. Unde videt angelum stantem inter myrteta, et orantem: Usquequo tu non miseraberis Jerusalem? Iste jam septuagesimus annus est, qui exaudivit audit Deum Judaeis pacem et bona daturum, ut Jerusalem reconcilietur, hostesque eorum perditurum. Hinc, vers. 18, videt quatuor fabros deferentes quatuor cornua, quae affecerunt et ventilaverunt Judam (1).

1. In mense octavo, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiae, filii Addo, prophetam, dicens: 2. Iratus est Dominus super patres vestros iracundia. 3. Et dices ad eos: Haec dicit Dominus exercituum: Convertimini ad me, ait Dominus exercituum: et convertat ad vos, dicit Dominus exercituum. 4. Ne sitis sicut patres vestri ad quos clamabant prophetae priores, dicentes: Haec dicit Dominus exercituum: Convertimini de viis vestris malis, et de cogitationibus vestris pessimis, et non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus. 5. Patres vestri ubi sunt? et prophetae numquid in sempiternum vivent? 6. Verumtamen verba mea, et legitima mea, quae mandavi servis meis prophetis, numquid non comprehenderunt patres vestros, et conversi sunt, et dixerunt: Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras, et secundum adventiones nostras fecit nobis? 7. In die vigesima et quarta undecimi mensis Sabathi, in anno secundo Darii, factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiae, filii Addo, prophetam, dicens: 8. Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta, quae erant in profundo, et post eum equi rufi, varii, et albi. 9. Et dixi: Quid sunt isti, Domine mi? et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi quid sint haec. 10. Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, et dixit: Isti sunt, quos misit Dominus ut perambulent terram. 11. Et responderunt angelo Domini, qui stabat inter myrteta, et dixerunt: Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur, et quiescit. 12. Et respondit angelus Domini, et dixit: Domine exercituum, usquequo tu non miseraberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est. 13. Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria. 14. Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me: Clama, dicens: Haec dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno. 15. Et ira magna ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi vero adjuverunt in malum. 16. Propterea haec dicit Dominus: Revertat ad Jerusalem in misericordiis: et domus mea aedificabitur in ea, ait Dominus exercituum: et perpendiculum extendetur super Jerusalem. 17. Adhuc clama, dicens: Haec dicit Dominus exercituum: Adhuc affluunt civitates meae bonis: et consolabitur adhuc

(1) Pars prima prophetiarum Zachariae continet, juxta analyticam expositionem Kilber, tres sermones: nimum *paraneticum*, 1, 1-6; secundum, *emblematicum*, 1, 7-17; 11-vi, tertium, *didacticum*, vii, viii.

Serm. I paraneticus. Post praefationem prophetiae more consueti, 1: primo, commemoratur iram divinam contra Judaeos olim exercitam, 2; secundo, adhortatur ad penitentiam, cum promissione gratiae, 3; tertio, dehortatur a pravo patrum non resipiscendum exemplo, 4-6.

Serm. II emblematicus. Emblemata referunt statum Judaicae gentis et urbis futurum, cum transitu ad Ecclesiam Christum.

Serm. I paraneticus. Post praefationem prophetiae more consueti, 1: primo, commemoratur iram divinam contra Judaeos olim exercitam, 2; secundo, adhortatur ad penitentiam, cum promissione gratiae, 3; tertio, dehortatur a pravo patrum non resipiscendum exemplo, 4-6.

Serm. II emblematicus. Emblemata referunt statum Judaicae gentis et urbis futurum, cum transitu ad Ecclesiam Christum.

Serm. I paraneticus. Post praefationem prophetiae more consueti, 1: primo, commemoratur iram divinam contra Judaeos olim exercitam, 2; secundo, adhortatur ad penitentiam, cum promissione gratiae, 3; tertio, dehortatur a pravo patrum non resipiscendum exemplo, 4-6.

Domini Sion, et eliget adhuc Jerusalem. 18. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce quatuor cornua. 19. Et dixi ad angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc? Et dixit ad me: Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam, et Israel, et Jerusalem. 20. Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros. 21. Et dixi: Quid isti veniunt facere? Qui ait, dicens: Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam per singulos viros, et nemo eorum levavit caput suum: et venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu super terram Juda, ut dispergerent eam.

VERA. I. 3. IN MENSE OCTAVO. — puta in octobri, cepit prophetare Zacharias; Aggæus vero in mense sexto, puta in augusto: uterque autem prophetavit, non in Babylone, ut aliqui censent, sed in Jerusalem, uti deserte ait Esdras lib. I, cap. v.

DARI — Hystaspis; vide dicta Aggeri 1, 1. Darius persice significat *apertus*, id est *prudens*, ait Hesychius: prudentia enim et providentia est prima dos regis, ut bene regat et gubernet.

FILICUM BARACHIE. — Barachias hebraice idem est quod *beneficentia Domini*. Hujus filius est Zacharias, id est memoria, vel memor Domini. Magna enim beneficentia summumque bonum est jugiter meminisse Dei, semperque eum habere in memoria, imo in oculis et mente.

FILII ADDO. — Fuit ergo Addo avus Zacharie; S. Hieronymus et eum secuti Remigius, Albertus, Haymo, Hugo et Dionysius censent hunc esse Addo Videntem, id est prophetam, qui scripsit chronica regum Juda, II Paral. xxii, 15, quique missus fuit a Deo ad Jeroboam primum regem Israel, ut ei, ob vitulos aureos ab eo erectos, interitum denunciaret, III Reg. xiii, 1, licet Scriptura eum ibidem non nominet. Verum hoc creditur esse difficile, nam a Jeroboam usque ad Darium Hystaspis fluxerunt 400 anni et amplius. Quare verius videtur Addo avum Zacharie fuisse pariter prophetam, ut censent Hebræi, vel certe virum illustrem, ideoque hic nominari, ut nepoti suo Zacharie nomen et decus concilliet. Nisi dicas Addo Videntem non avum, sed quintum, vel sextum atavum fuisse Zacharie, ut Barachias vocetur filius, id est abnepos, Addo. Sic enim ipse Zacharias vocatur filius, id est nepos vel abnepos Addo, I Esdræ, v, 1. Et hoc satis est verisimile, tum quia alium Addo prophetam, vel celebrem in Scriptura non legimus; tum quia prophetia tunc temporis erat quasi hereditaria, æque ac sacerdotum, et de avis transibat in patres et nepotes, ut tradunt Hebræi; unde et in libris Regum celebrantur filii Prophetarum, et Zacharias

insidentem equo rufo, stantem inter myrtos, cum equis variorum colorum sequentibus, 8; *tertio*, sensus intercedente colloquio postulat, 9-12; *quarto*, exposito data, emblemata pertinere *generatim* ad solatium, 12; *speciationem* ad declarandum, *primo*, zelum Dei pro populo Judæorum, 13; *tertio*, voluntatem reducendi populum, edificandi templum et urbem, amplificandi rempublicam, 16, 17.

pater Joannis Baptiste fuit propheta, æque ac filius, ut patet *Lucæ* 1, 67; tum quia deserte id asseverant S. Hieronymus, et alii jam citati, qui sane vidit ex intercapidine tot annorum Addo non posse esse avum Zacharie; per avum ergo accipit atavum. Quod si ita est, magni propheta (talis enim fuit Addo Videns) nepos et hæres fuit Zacharias.

2. **IRATUS EST**. — Hebraice, *iracundia iratus est*, *Ver. 1.* id est vehementer iratus est, valde excauduit.

3. **ET DICES AD EOS**. — scilicet Judeos, inter quos tu versaris, et quorum te constitui prophetam. Ponitur relativum, vel potius demonstrativum pro antecedente, utpote noto et obvivo. *Ver. 2.*

HÆC DICIT DOMINUS EXERCITUM. — Hoc adjicitur, quia fit sermo ad eos qui in potestate Darii venerant, magnorum exercituum ducis et imperatoris, *q. d.* Hæc dicitis, ejus vires sunt multo majores viribus humanis, cupis exercitus et potentia longe superant exercitum et potentiam Darii, alias potentissimi. Ita Vatablus.

CONVERTIMINI AD ME. — Præclare S. Gregorius *Dei in hominibus prophetia officii.* in *Psalm. vii Penitent.*: « Deus, inquit, qui abiecit delinquentem, convertitur ad penitentem; qui vocat etiam adversos, donat peccata conversis, hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adjuvat dmicantes, confirmat laborantes, exaudiat corde clamantes. Ipse namque per Prophetam dicit: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos; sed quia converti ad eum sine ipso non possumus, quotidie cum Propheta clamemus: Ne avertas faciem tuam a me. » Porro S. Thomas II, *Quæst. LXXXIX*, art. 6, ad 3, et ex eo Capreolus in II, dist. XL, *Quæst. unica*; Soto lib. II *De Justitia*, *Quæst. III*, art. 10, et Navarius *Enchirid.* xi, num. 8, censent hoc conversionis ad Deum præceptum obligare in primo rationis instanti: puer enim, inquit, cum rationis usum habere incipit, tenetur se et sua ordinare ad debitum finem, puta ad Deum; quod si facit, Deus infundet illi gratiam per quam consequetur remissionem peccati originalis; si non facit, peccat mortaliter. Nam ordo nature postulare videtur ut homo, cum inchoat vitam rationalem, incipiat ab intentione ultimi finis; nam ex ea pendit vite honeste institutio. Verum alii doctores censent contrarium, scilicet in primo rationis instanti non teneri puerum convertere se ad Deum per amorem Dei super omnia, naturalem vel supernaturalem: *primo*, quia hoc præceptum est difficulti-

mm, et maxime sublime. Non est autem credibile Deum obligasse homines judicio tam immaturos, ad tale præceptum statim exsequendum; *secundo*, quia homo in principio non cogitat de rebus tam sublimibus, sed de sensibilibus et consuetis. Neque est aliquid unde illis tam sublimis cogitatio suggeratur; ac proinde inconsideratio ejus, vel ignorantia est invincibilis; *tertio*, quia nullum tale in Scriptura exstat præceptum, nec ratio naturalis illud dicit. Nam illud: « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, » pertinet ad peccatores, qui jubentur agere penitentiam de peccatis actualibus; non autem ad eos qui habent solum originale; et licet etiam ad hos pertinere, non tamen ideo statim debent impleri. Nam est præceptum affirmativum, quod semper obligat; sed non pro semper, ut obligat negativum; sicut neque adultus, qui peccavit mortaliter, tenetur statim agere penitentiam sub novo peccato.

4. **NE SITIS SICUT PATRES VESTRI**. — ne patrissetis, ne patrum idololatram, inobedientiam, apostasiam æmulemini, alioqui similes vos eis efficiam in pena, sicut similes vos fecistis in culpa. *Ver. 3.*

5. **PATRES VESTRI UBI SUNT?** — *q. d.* Exciis sunt, et in excidio Hierosolymæ vel occisi, vel in Babylone abduci, ibique mortui sunt, uti eis prædixeram et comminatus eram per meos Prophetas. Nonne videtis in eis meas minas et oracula non fuisse vana et irrita, sed vera, certa et efficacia? Scitote ergo talia quoque fore hæc quæ vobis pariter per Zachariam intento et edico. *Ver. 4.*

ET PROPHETE NUMQUID IN SEMPTERNUM VIVENT? — Prophetas intelligit patrum impiorum, puta pseudoprophetas; hos enim mox opponit servis suis Prophetis, *q. d.* Falsi propheta, qui patribus vestris falso felicitatem prædicebant et promittebant, dicentes: Pax, pax, nonne et ipsi, æque ac patres vestri, misere mortui sunt, vel gladio, vel ærumnis captivitates? ubi est ergo eorum felicitas et longevitas, quam sibi patribusque vestris promiserunt? Numquid interitu suo tam infelici testati sunt se esse mendaces, et oracula sua fuisse demonis, non Dei vaticinia? Ita S. Hieronymus, Albertus, Hugo et Lyranus. Alii vero intelligunt Prophetas, *q. d.* Tam Propheta pii quam patres vestri impii mortui sunt; boni enim æque ac mali moriuntur; sed prophetie eorum et minæ, quas patribus vestris vobisque, si eos imitemini, intendantur, non sunt mortuæ, sed vivunt et perdurant; quia Deus earum auctor, et seclerum ultor, non moritur, sed vivit in æternum. Hoc est quod subdit Zacharias: « Veruntamen verba mea, » etc. Ita Theodoretus, Clarus, Vatablus et a Castro (1).

(1) Locum suam hic versus accipit a sequenti, ut apte observat Maurer. Sensus utriusque: Communem patres vestri et prophetas superiores vite exitum habuerunt. Sed verbum meum manet perpetuo. Eventum habuerunt verba mea in majoribus, habebuntque etiam in vobis.

6. **VERUNTAMEN**. — *q. d.* Vestri pseudoprophetae *Ver. 6.* vos deceperunt, quia promiserunt prospera que non evenerunt. Verum me Propheta, qui mea verba, id est minas et statuta, puta pœnas lege Mosi statutas in legis prævaricatoribus, patribus vestris vobisque intendantur, vos non fefellerunt; nam pœna et plage quas comminati sunt, reipsa patres vestros comprehenderunt, qui proinde flagellis hisce Dei eruditi, iustum Dei in se judicium et culpam suam agnoverunt, ut, qui antea ad me invitantes eos ad penitentiam noluerant attendere, ut dicitur *vers. 4*, jam castigationibus hisce, licet sero et coacte conversi, mentem et sententiam mutarint, dixerintque: « Sicut cogitavit Dominus exercitum facere nobis secundum vias nostras, etc., fecit nobis. » Ita Arias, Clarus et Vatablus (2).

7. **IN DIE VIGESIMA ET QUARTA UNDECIMI MENSIS SA-** *Ver. 7.* **BATH**. — qui nostro respondet januario; hic enim noster primus est mensis, sed Judæorum erat penultimus. Ipsi enim annum secrum inchoabant a nisan, id est martio. Sabbati et reliqua hebraica mensium nomina videntur esse chaldaica, nam inveniuntur tantum apud eos qui redierunt Babylone. Ita Vatablus.

FACTUM EST VERBUM. — id est visio angeli et equorum inter myrteta: Deus enim tam loquitur symbolis quam verbis. Quocirca prophetia quælibet, ut dixi *Isaie* 1, 4, promissive nunc vocatur *verbum*, nunc visio; quamquam et proprie verba angeli in hæc visione miscuantur et intercurrant.

DICENS. — id est ostendens id quod sequitur, quodque enarrat inquiring.

8. **VIDI PER NOCTEM**. — Nox enim aptior visionibus; in ea enim quiescentibus collectisque sensibus phantasia vivacius concipit et intuetur sua phantasmata, præsertim a Deo vel angelo impressa. Symbolice, mox hæc ar symbolum calamitatis, in qua Judæi Babylone redeuntis versabantur, que in diem, lucem et lætitudinem restorationis urbis et templi mox erat convertenda. Calamitas enim opportuna est ad audiendum verbum Dei, quia cor instar cereæ emollit. Hinc vexatio dicit intellectum additum. Ita S. Hieronymus.

Unde moraliter S. Gregorius lib. II *Moral.* cap. II, docet S. Scripturam solere per tempus rei ex-

Porro non pseudopropheta hæc intelligendos esse vel docet *II* he demonstrativum ad antecedentia lectorem remittens, ait Rosenmuller, ut ostendat hic intelligi digditi prophetas de quibus *vers. 4*, et mox *vers. 6* loquitur. Simpliciter igitur nostris verbis conceditur, majores eorum ad quos verba facit, et prophetas priores communem vitæ exitum habuisse.

(2) Ut completa fiat oratio, suppleendum non nihil venit hoc modo: Hanc confessionem patribus vestris tandem extorsit; cavete igitur, ne quid simile vobis accidat. Ceterum hic sermo merito primus est, ac omnium vaticiniorum Zacharie frontem occupat. Cum enim templi et civitatis publicæ restorationem urgendum sibi summississet vates, par erat ut suos æquales moneeret, ne majorum prava exempla imitanti, effata prophetica contemnerent. (Rosenmuller.)

tum significare: « A qualitate, ait, temporis finis exprimitur actio; sicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte iudas exiisse perhibetur, cum egrediente illo ab Evangelista S. Joanne, cap. xviii, dicitur: Erat autem nox. Hinc enim et iniquo diviti dicitur *Luceo* xii: Hæc nocte repetent animam tuam abs te. Anima quippe quæ ad tenebras dæcitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon, qui sapientiam non perseveranter accepit, *III Reg. iii*, in somnis hanc et nocte accepisse describitur. Hinc est quod angeli ad Abraham meridie veniunt; punituri autem Sodomam, ad eam vespere venisse memorantur. Quia igitur B. Job tentatio ad victoriam deducitur, a die coepta perhibetur, cum dicitur: Quadam autem die cum venissent filii Dei, » etc.

ET EGRO VIR, — puta angelus speciem viri assumens; angulum enim fuisse patet vers. 11. Hebraei, S. Hieronymus, Theodoretus et passim alii censent fuisse S. Michaëlem; hic enim olim Synagoga Judæorum fuit custos, uti nunc est Ecclesie Christianorum, ut patet *Daniel. x, 21*, et cap. *xii, 1*; licet aliqui Gabrielem fuisse autem, qui est fortis preliator pro populo Dei, uti patet *Daniel. ix, 21*, et cap. *x, 3*.

Errores rufus equus symbo- licus?

SUPER EQUUM RUFUM. — Insidet equo, quasi celer et festinus ad auxilium populi sui; eique rufus, quasi sanguinarius vindicæ acer in hostes Judæorum. Equus enim notat multa, scilicet velocitatem, generositatem, dignitatem, ardorem preliandi, victorias, gloriam et triumphos S. Michaëlis.

Aliter Theodoretus: Insidet, ait, equo rufus, ut significet populi afflictionem: « Nam equus rufus hostium conjurationem et indignationem ostendit, quia sanguinarius et rufus est furor. » Nove ergo Arias per virum hunc accepit Alexandrum Magnum, cujus equus fuit rufus, scilicet Bucephalus, ita dictus quod capite et colore similis esset bovi; boves autem communiter sunt rufi, presertim in Græcia aliisque regionibus candidis. Censet ergo hic significari quod Alexander monarchiam a Persis ad Græcos sit translaturus. Verum de hac re non agit hic Propheta. Porro Theodoretus equum hunc rufum vocat spadiceum, id est panice coloris, qui maxime commendatur in equis, de quo audi Virgilius *III Georg.*, dum generosum equum hisce notis depingit:

Ille ædua cervix,
Argutumpne caput, brevis alvus, obesque terga,
Luxuriantque toris animosum pectus: honesti
Spadices, glaucique color deterrimus albis.

Jam ex generositate equi animos, vires et iras equitis intellige et metire. Eos exigebat rei et afflictionis difficultas. Erant enim Judæi in profundum, ut mox dicitur, calamitatum demersi: valido ergo magnique zeli liberatore et propugnatore angelo indigebant. Ubi nota: Afflictis so-

lent præsto esse angeli, et quo major est afflictio, eo ipsi majus robur, opem et consolationem afferunt.

Mystice, hic vir stans inter myrteta est Christus, qui in carne quam ex myrto, id est B. Virgine, assumpsit, in medio Patriarcharum, Prophetarum, ac sanctorum veteris et novi Testamenti, quasi inter myrteta consistit. Equus rufus est humana natura, cui insidet deitas, quam sumpsit ex primo parente, qui à terra rufa, ex qua plasmatus est a Deo, dictus est Adam, id est rufus, quamque rubricavit sanguine, tum suo, tum hostili, quem victor sparsit, juxta illud *Isaie lxxi, 1*: « Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? etc. Quare equo rubrum est indumentum tuum? Torcular calcavi solus, » etc. Ita Petrus abbas Cellensis lib. *De Passibus*, cap. *xxiii*, tom. *viii Biblioth. SS. Patrum*. Sequuntur eum equi rufi, albi et varii, id est apostoli, martyres et virgines: item fabri, id est doctores et prædicatores, qui omnes Ecclesiam Christi edificaverunt, Christiane hostes fabricam hanc impedire volentes dejecerunt.

INTER MYRTETA, — id est loca myrtis consita; Syrus, inter arbores opacas, vel umbriferas; Arabicus Alexandrinus, inter duos montes se invicem cernentes, id est obvios. Grammatico sensu notat Babylonem, in qua Judæi fuerant captivi; myrtus enim ob siccitatem amat loca demissa, profunda et irrigua, qualis est Babylon, quæ vicinia est Euphrati et Tigri. Ita Arias et Vatablus, quin et Chaldeus qui veritit: *Et ipse stabat inter arbores myrtanas quæ sunt in Babylone*. Unde addit in *profundo*, id est prope profundum, scilicet aquarum et fluminum. Ibi ergo visus est angelus, ut significet Judæorum captivitatem et calamitatem Babylonicam, in qua quasi in profundo demersi et pene absorpti fuerunt, juxta illud *Psal. lxxviii, 3*: « Infixus sum in limo profundo: et non est substantia; » sequè illos magna ex parte inde eduxisse et liberasse, ac ceteros inde liberaturum, dum eos qui redierant propediem adjuvabit in reedificatione urbis Jerusalem et templi, quæ peracta ceteri ex Babylone illicio in Jerusalem advolabunt. Itaque Michaël apparet inter myrteta, quia læta nuntiat de templi fabrica et gloria; myrtus enim hilaritatis est indicium. Unde olim mos fuit in conviviis, circumlato myrto ramo, convivæ ad cantandum excitare; singuli enim eo in manus accepto partes cænebant suas, teste Plutarcho in *Sympos.* Et Horatius adveniente verno tempore quo se undecunquæ patefacit hilaritas, decore ait: « Viridi nitidum caput impetere myrto. » Atque ubicunquæ conviviorum lætiam celebrat, coronas e myrto inferri jubet. Ita Pierius, *Hierogl. lib. l.*, cap. *xxvii*. Rursum symbolice, per myrteta intelligit familias et coetus Judæorum fidelium et justorum, qui in Babylone vel fuerant captivi, vel adhuc erant inquinati, quales erant Esdras, Nehemias, Zorobabel, Jesus,

Myrteta, hic vir in myrteta est Christus in Virgine conceptus.

Esther vocata est Hadisa, si est myrtus.

Aggeus, etc. Inter hos ergo stetit Michaël. Myrtus enim significat justos, ob soliditatem, pulchritudinem et fragrantiam bonorum operum. Unde Esther regina pia et sancta, cap. *ii*, a Mardocheo, ob pulchritudinem et gratiam, vocata fuit hebraice מִירְתָּא *hadisa*, latine *edissa*, id est myrtus, vel myrteta. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus et Hugo.

Alludit ad nomen, mores, aulam, familiam et familiares Esther reginæ; hæc enim vocata est *Hadisa*, id est myrtus. Ipsa enim vixit sub hoc tempore, imo a nonnullis chronologis virisque doctis, ex multis magnisque conjecturis, censetur ipsa fuisse uxor hujus Darii Hystaspis, ideoque eum iam benevolunt fuisse Judæis, ut præter alia, templum eis reedificari curavit. Quæ de causa sub eodem prophetaurum Aggeus et Zacharias. Visus est ergo, inquit, angelus stare inter myrteta, id est in aula et familia Esther, quæ virtute et nomine erat myrtus, quasi portendens ejus conjugium cum Dario, quod anno sequenti, puta anno 3 Assuri, id est Darii (Assuerus enim erat commune nomen regum Persarum) peractum est, ut patet *Esther i, 3*. Rursum inter myrteta, id est inter Esther reginæ familiares et assecas, puta Mardocheum, Esdram, Nehemiam, Zorobabel, Jesum, qui Esther reginæ obscundabant, erantque pariter virore et vigore animi morumque, myrti et myrteta, utpote principes eminentes in populo. Olim enim principes myrtis coronis coronabantur, teste Suida. Unde proverbium: « Myrteam coronam ambis, » id est principatum, vel magistratum ambis.

Myrtus est Virgo.

Sic mystice, nostra *Hadisa* et myrtus, nostra Esther est B. Virgo, quæ sibi devotos salvat, et ab Aman, id est a diabolo, liberat. Stant ergo angeli inter myrteta, id est sub B. Virginis alis et umbra, vel inter ejus fideles, congregationes et coetus ipsi dicant, ut per ejus merita et preces suis clientibus veniam, gratiam et consolationem impetrent. Myrtus enim læta et decora virtutum est felicitatis. Unde sicut ex myrtis opere topiario in hortis fiunt arborum milites, trimæ, equites cataphracti; item phasianis, psittaci, philomela, etc., ad voluptatem et delicias; ita B. Virgo inter myrteta paradisi cælestis, puta inter angelos consistens, imo prædens, pollicetur suis non tantum opem, sed et consolationem, lætiam, omnesque spiritus delicias; quæ præstat per hosce suos angelos, qui cum suapte natura sint formæ expertes, quamlibet induere possunt, ac multiplicem armaturam, imo panopliam assumere, ut pro Deiparæ dominæ suæ honore et gloria, prope ejus cultibus potenter decerent, utque Ecclesiam et domum Deo in anima fidelium edificent. Sic Gentilibus Venus, pulchritudinis dea, myrteta dicebatur. Unde Plinius lib. *xv*, cap. *xxxix*: « Ara, inquit, vetus fuit Romæ Veneris myrtetæ. » Idem lib. *xxi*, cap. *xi*: « In Ægypto, ait, sine odore hæc omnia (rosa, liliium, viola, etc.),

tantumque myrtis præcipuus odor. » Quid pulchrius, quid suavolentius Virgine Deipara? Una hæc Dei Venus, puta decor, gratia et venustas, omnes Satane mundique veneres obscurat, imo vanas et fœdas esse ostendit. Ipsa enim est abyssus gratiæ, pulchritudinis oceanus, charismatum omnium thesaurus, quæ sola, velut Esther, Assuerum Deum Patrem placavit, et invenit gratiam in oculis ejus, ut ab eo per Gabrielem archangelum salutata sit: « Ave, gratia plena. » Nam, ut de ea dicitur *Cantic. iv, 7*: « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. » Et *Eccli. xxiv, 24*: « Ego mater pulchra dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spæ. In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vite et virtutis, » etc. Iure ergo S. Bernardus hom. *4 Super Missus est*: « Ex ore, inquit, tu, Virgo, pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum. » Idem: Deus totius mundi pulchritudinem posuit in Maria, ut si quid spæ, si quid gratiæ, si quid salutis in nobis sit, ab ea noviterum redundare. Quocirca cum eodem, serm. *4 De Assumptione*, eam invocemus assidue, ac dicamus: « Sit igitur pietatis tue, Virgo benedicta, ipsam quam apud Deum invenisti gratiam, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillibus corde robur, afflictis consolationem, precitantibus adiutorium, et liberationem sanctis tuis precibus obtinendam. Amen. » Maria ergo est myrtus Dei.

Porro Theodoretus ex Septuaginta pro *myrteta* legit *montes umbrosos*, per quos intelligit Dei providentiam, sub qua omnes vivunt, ex qua providit hic angelus, ut eam circa tutelam Judæorum exsequatur. Montes hi sunt umbrosi, quia judicia Dei sunt obscura et occultata.

Moraliter, nota: Apposite justus, ac presertim B. Virgo comparator myrto: primo, quia myrtus amans valles designat ejus humilitatem, quæ sanctitatis est fundamentum. Secundo, quia myrtus crescit juxta aquas. Unde Virgilius *Georg. iv*:
Et amantes littora myrtili.

Moraliter, justus est myrtus ob quia decem analogis.

Ita justus crescit per lacrymas compunctionis et penitentis, perque aquas tribulationis et patientiæ. Tertio, myrtus fert bacces saporis præcipui, ex quibus fit vinum: ita justus fert fructus bonorum operum, sapidos Deo et hominibus, ex quibus fit vinum exultationis quod lætificat angelos. Quarto, myrtus est valde odorata et bella; hinc odorem gratum ori et halitui conciliat, ait Plinius lib. *xxiii*, cap. *ix*. Unde etiam qui stomacho laborant et halitum habent foetentem, pro remedio manè comedunt bacces e myrto; quocirca a Gentilibus Veneri fuit dicata, teste Plinio lib. *xii*, cap. *i*. Ita justus spargit ex se odorem bonæ famæ, ac morum candore, modestia et suavitate omnibus gratum se efficit, præstat, quæ illud Apostoli monitum: « Sermo vester

semper in gratia sale sit conditus, » *Colos. iv. 6.* *Quinto*, myrtus semper viret; ita justus virorem virtutum semper conservat et auget. *Serto*, oleum ex myrto astringit et indurat, ait Plinius lib. XIII, cap. iv et cap. ix: « Semen ejus, ait, medetur sanguinem excreantibus, datur et dysentericis denarii pondere in vino. » Ita justus fluxum noxiarum cupiditatum cohibet et restringit. *Sep-timo*, in festis, ludis, etc., cingebant tempora myrto, ut canit Virgilius *Georg. I.* et Tibullus lib. I, *eleg. iii*:

Et gerit insigni myrtea sarta coma.

Myrtus ergo denotat laetitiam spiritualem et exultationem quam ob quietem conscientiae possidet justus. Unde Lyranus ad litteram per myrta accipit gaudium Judaeorum de urbis et templi restauratione, quodque jam reipsa rursus viri essent myrtos et myrtae juxta urbem et templum conseri et plantari. Porro hoc gaudium fere ingens et exaggeratum, innuit quod angelus visus sit non inter myrtos, sed inter myrtae, id est sylvas myrtorum. Ita *Fernandus visione XXIX*, sect. II, qui et addit res odoriferas in quibus deficiunt, vigorem et vires reddere, ac prouide angelum visum inter myrtae, quae sunt odoratissima, ut Hebraei pene deficientibus, et ex timore collabantibus, consolationem et corroboracionem ingerat. *Octavo*, myrtis solent ornari et sepiori horti, prata, villae; unde *Martialis lib. V*: « Myrtae otiosis ordinata villa. » Ita justus est munimen aequae ac ornamentum domus, collegii, urbis, reipublicae, Ecclesiae et universi: sicut ex myrtis fiunt topiaria, quae sunt decus hortorum. *Nono*, vinum myrto conditum, quod myrtiten vocant, valet ad sedanda tormina, ait Plinius lib. XXX, cap. vii, et *Columella lib. XII*, cap. xxxvii; ita justus sua patientia et virtute sedat et superat omnia morborum et tormentorum tormina. Insuper *Theodoretus*: « Myrtus, inquit, est planta odorata, habens vim morbos calidos refrigerandi. » Ita aestus irae et libidinis per Dei gratiam restingit justus. *Decimo*, Plinius lib. XV, cap. xxix: « Succorum, ait, natura praecipua admirationem in myrto habet, quando ex una omnium, olei vinique bina genera fiunt. » Subdit veteres bacis myrri pro pipere usos. Ita omnia in justo sunt succulenta, sapida, acris et efficacis. *Undecimo*, ibidem Plinius asserit myrtum valere ad expurgandam bilem, ideoque ad conciliandos dissidentium animos. Unde « traditur, inquit, myrta verbera Romanos Sabinosque, cum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos, in eo loco qui nunc signa Venereis Cluae habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant. Ideo tum electa, quoniam conjunctioni, et huic arbori Venus praest. » Ita justus ubique dissidentes conciliat, sequiturque illud Christi: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, » *Matth. v. Duodecimo*, ibidem Plinius: « Cato, in-

quit, tria genera myrri prodidit, nigram, candidam, conjugulam; fortasse a conjugis ex illo Cluae genera. » Et mox inquit: « Folia et per se siccantur in farinam ad ulcerum remedia in corpore humano, leniter mordaci pulvere, ac refrigerandis sudoribus. Quinimo oleo quoque (mirum dictum) inest quidam vini sapor, simulque pinguis liquor, praecipua vi ad corrigenda vina, saccis ante perfusis. » Ita justus in sanctitate sua, verbisque et correptionibus quippiam habet acre et mordax, quo aliorum vitia et defectus castiget. « Blanda, » inquit S. Hieronymus dialog. I *Contra Pelag.*, « est adulatio, pulchreque adulator apud philosophos definitur blandus inimicus; veritas amara est, rugose frontis ac tristis, offenditque correctos. » *Decimo tertio*, ex myrto fiebat ovantium corona, subinde et triumphantium, ait Plinius ibidem. Haec designat coronam triumphi, quam justorum virens semper virtus, eaque herolca meretur. *Decimo quarto*, myrtus, ait Plinius lib. XIII, cap. ix, « ulcera difficilia in extremitatibus corporis sanat. Imponitur lippitudini cum polenta, et cardiacis in mamma sinistra. Et contra scorpionis ictus in mero, et ad vesicae vitia, capitis dolores, et agilopas antequam supparent. Item tumoribus, exemplisque nucleis in vino veteri tritum eruptionibus pituitae. Succus seminis alvum sistit, urinam ciet. Ad eruptiones pustularum pituitaeque cum cerato illinitur. Capillum denigrat. » Subdit deinde eandem valere contra ignem sacrum, capillos fluentes, furfures, articulares morbos, hydropem, haemorrhoides, lentiginis, aures purulentas, renum dolores, morbum regium et calculum. Ita nullum est malum, quod justus sua virtute per gratiam Dei non curet; nulla tentatio, quam non superet; nullum vitium, quod constantia et fortitudine sua non debellet et expugnet. Nam superbiam superat humilitate, iram mansuetudine, gulam abstinentia, libidinem mortificatione, avaritiam liberalitate, aecidiam fervore et zelo, etc. *Decimo quinto*, myrtus est brevis vite, sed celeris fructus. Audi Plinium lib. XVII, cap. xii: « Quaedam, ait, natura tarde crescunt, et in primis semine tantum nascentia, et longo evo durantia. At qua cito occidunt, velocia sunt (in ferendo fructu) ut ficus, punica, prunus, malus, pyrus, myrtus; et tamen antecedunt divitiis. In trimatu enim ferre incipiunt. » Ita sancti eminentes et ardentis brevis sunt aevi; sed illud multis et heroicis virtutibus implent, ut videre est in S. Agnete, Cecelia, S. Stephano, S. Laurentio, Lino, Cleto, Clemente, omnibusque primis SS. Pontificibus.

Denique myrtus sacris adhibebatur, ait Plinius lib. XVI, cap. xxxii, qui et lib. XV, cap. xxx, de antiquissimo delubro Quirini, hoc est Romuli, ait: « In eo sacre myrri fuere duae, ante eadem ipsam per longum tempus. » Myrtus ergo denotat religionem, orationem et devotionem sanctorum. Hisce de causis Ecclesiae dotes et decora

describens *Isaias cap. XII*, 19, ait: « Dabo in solitudinem (Gentium) cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivae. » Et cap. LV, 13: « Pro salicina ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus. » Ita de Judaeis euntibus in Babylonem, quasi ad carcerem dicitur *Psalms. cxxxvi*, 2: « In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. » Jam vero cum ex Babylone redeunt laeti et spebus pleni, salices eis mutantur in myrtos. Unde inter myrtae apparet angelus, ut laetitiam eorum indicet et adaugeat. Qua de causa et *Levit. xxii*, 40, in festo Tabernaculorum jubentur Judaei gestare ramos ligni densarum frondium, id est myrri, ut vertit Chaldaeus, Josephus et alii, ut is testentur et representent laetitiam qua eos cumulavit Deus, cum ipso ex Aegypto de deserto traduxit, et collocavit in terra promissa, puta in Chananaea.

ET POST EUM EQUI RUFII, VARI ET ALBI. — Pro vari hebraice est שרקיב *serukim*, quos Arias vertit *sericum*, qualis est color serici nativi antequam tingatur, puta flavum, sive fulvum, ut vertit *Ara-bianus* Antiochenus; aut croceum, qualis est color auri. *Marius* in *Lexico serukim* deducit a *so-re*, quod erat genus vitis et uvae optima; unde *serukim* vocari colorem uvae optima. Alii *serukim* deducunt a שרקיב *serok*, id est surculum, ut significet spadiceum, id est surculum palmae cum fructu, qui est coloris puniceae. Verum Septuaginta, *Noster*, Chaldaeus et alii vertunt, *vari*; alii, *multico-lores*. Unde *Arabicus* Alexandrinus vertit: *Et circum eum equi rufi etiam, et flammæ, et fulvi, et nigri*; alii, *peccati*; alii, *electi*: nisi per varium colorem intelligas medium, ideoque mixtum. Nam flavus color est et viridi, rubro et albo concretus, ideoque est fulvo clarior, qualis est auri. Unde notat gentes medias, puta partim amicas, partim inimicas Judaeis.

Nota primo, sub equis, metonymice intelligi sessores et equites. Nam de his subdit: « Isti sunt quos misit Dominus. »

Secundo, equites hosce designare angelos custodes regnorum: sequuntur enim primum equitem, puta S. Michaellem, quasi duccem et antesignanum.

Tertio, color innuit qualitatem et conditionem regnorum et gentium quibus praerant, ac praesertim diversos earum mores et affectus erga Judaeos: ita Hebraei, et ex his S. Hieronymus, quem sequuntur de more Haymo, Albertus, Remigius et Hugo. Equi ergo rufi significant angelos praesides gentium sanguinolentorum, quae Judaeam ceterosque populos bello, rapinis et caedibus vastarant, quales tunc erant Assyrii et Chaldaei. Albi, ob colorem lucidum et laetum, significant praesides gentium pacificarum, et Judaeis propitiarum, quales tunc erant Persae et Medi. Varii, id est variorum colorum, significant angelos praesides gentium quae varios habebant status et inclinationes, nunc ad pacem, mox ad bellum;

nunc ad amicitiam et beneficia, mox ad odia et maleficia; nunc ad bona, mox ad mala et clades inferendas, quales tunc erant Macedones et Graeci. Ita Hebraei, S. Hieronymus, et ejus aessele. Verum quia tunc nondum erat imperium et potentia Macedonia, utpote quae coepit a Philippo, patre Alexandri Magni; hinc potius per equos varios accipias varias gentes Judaeis vicinas, easque partim amicas, partim inimicas, vel nunc benevolas, mox infensas, quales erant Aegyptii, Tyrii, Sicionii, Syri, Ammonitae, etc. Perperam ergo nonnulli per equum primum, scilicet rufum, accipiunt Romanos. Alii minus male per equos varios, sicut flavos, accipiunt Romanos, praesertim Titum et Vespasianum, qui fuerunt et gens Flavia. Sed hoc non est litterale, nec genuinum. Nam Romani tunc erant tenues et obscuri, nihilque commune habebant cum Judaeis, multo minus eis erant rufi, id est sanguinari: hinc melius per equos rufos accipiemus Chaldaeos, ut dixi. Hi ergo angeli representant suas gentes; quas cum ipsi perambularent, statumque singularum lustrassent vers. 14, nuntiant omnes gentes totamque terram pacem colere, et pacifice domi suae habitare, ubique quiescere. Haec enim visio eo spectat, ut Zacharias persuadeat Judaeis fidenter progredi in fabrica templi et urbis, eo quod omnes circumquaque gentes in pace degant, nec Judaeis bellum sinat allaturae, aut fabricam impedire. Aliter hi equi accipiuntur cap. vi. Ibi enim sunt quadricolores, et significant quatuor monarchias sibi ordine succedentes; hic vero sunt tricolores, et significant praesentem gentium statum, et triplicem earum affectum erga Judaeos, de quo plura cap. vi (1).

(1) Ceterum, ut observat Ackermann post Rosenmuller, insident angeli equis, ut notetur, eos ad celeriter et prompte exsequenda mandata divina facilitate instructos esse. Color qualitatem decreti divini significat, et quidem ruber utilitatem, albus benignitatem, laeta tempora, et varius mixtam benignitati severitatem, tempora mixti generis, et statum varium. Hanc sententiam rejicit Maurer, eo quod Deus non potest eodem tempore populo suo denotare bella, statum varium, tempora laeta, et quia repugnat ipsa etiam oratio. Nam quae denuntiantur populo laeta sunt, vers. 13, 14, 16 et seqq. Item valet in eos qui rubro colore indicari putant penam suamendam de Chaldaeis, etc. Si penam significat iste color, quid sibi vult surinus et albus? Mixti generis tempora et laeta? Quae esset contradictio in adjecto? Ad hoc cf. vers. 15, ubi nominis tristitia imminet barbaris. Sed peccator in utraque interpretatione etiam in eo, quod ad res futuras referuntur colores. Rectus ad praesentia et presentia colores retulit Hieronymus, sed interpretationem ab angelo et ipsis nuntiis datam neglexit et ipse. Et tamen suam licet non potest accipere nisi ex ista interpretatione. Legenda sunt quae dicit angelus vers. 10, referentque nuntii ipsi vers. 11. Quae si contuleris, si observaveris, inquam, dici multos universam terram pergrassas, intelligis, opinor, in singulis colores investigandum non esse, colorem variatate vero in universum significari varias ab nuntiis pergrassas terras, cf. cap. vi, 3 et seqq. Quid etiam illi qui primo loco memoratur angelo triobivertit coloris equus, ejus rei

Equi
rubi
et
vari,
qui?

Car equi non equum

Porro ait equi, non equus; quia singuli angeli, vel potius archangeli, utpote principes et praesides gentium, non veniebant soli, sed stipati suis cohortibus angelorum. Idem multo magis dicendum de Michaele. Insuper equi rufi, varii et albi significant angelos varii numeribus destinatos, scilicet alios ad exercendam severitatem et vindictam, alios ad beneficentiam et misericordiam, alios partim ad vindictam, partim ad misericordiam. Impertinens ergo et improbabilis est opinio Arizae, qui per virum inter myrteta consistentem accipit Alexandrum Magnum; per equos vero rufos, varios et albos, Alexandri successores, Seleucum, Philippum, Antigoneum et Ptolemaeum, qui ejus monarchiam secuerunt et inter se dividerunt. Zacharias enim 200 pene annis Alexandrum antecessit, atque de rebus presentibus, puta de presentis Iudeorum consolatione, ut eos ad presentem templi fabricam incitet et impellat, ad quam nihil contulit Alexander. Probabilis pons dicere in equis haece alludi ad imperium praesens Persarum, quibus suberant Judaei: Persae enim equis pollebant, uti etiamum equitatu pollent contra Turcas. Hinc per hincitum equi Darius Hystaspis creatus fuit rex Persarum, cujus anno regni 2 haec visio obtigit Zachariam.

Mystice, S. Ambrosius in *Symbol. Apost.* tom. IV, per equos rufos accipit martyres; per albos, virgines; per varios, vel, ut ipse ex Septuaginta legit, *sterninos*, id est colore sturni avis, doctores. « Sequenbantur, inquit, eum equi variorum colorum, id est qui vel martyrio rubri; vel sturni in volatu, hoc est varii in virtutibus; vel candidi in virginitate monstrantur. »

Vers. 9.

9. ET DIXIT AD ME ANGELUS QUI LOQUEBATUR IN ME. — Hic angelus videtur fuisse custos Prophete, qui ei revelavit sua haec oracula, eique has visiones ostendit. Ait enim: « Ego ostendam tibi quid sint haec. » Alius ergo fuit a Michaele: Michael enim erat custos totius populi, stabatque inter myrteta: hic autem erat custos Zachariae, et in eo loquebatur. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus, licet contrarium censeant Rabbinii, Theodoretus et Vatablus, scilicet hunc angelum fuisse eundem cum eo qui stabat inter myrteta, puta cum Michaele. Michael enim volens consolari populum illuminavit Zachariam, ostenditque illi has visiones et verba consolatoria, ut eandem ipse referret populo, usque illum consolaretur. Verum prius quod dixi planius est, magisque textui consonum (1). Porro ex eo quod

causa est, quod is quoque certae terrae vices obit, Iudaice puta: cf. vers. 12 et seqq.

(1) Prima tamen sententia suam habet et forsam majorem probabilitatem, ita ut non possunt quo vers. 9 leguntur, *quid sibi voluit isti, mi domine?* dicta putari ad alium, quam ad virum, qui memoratus est ante. Nam, ut ait Maurer, interrogatur unus tantum, nec quisquam praeter illum nominatus est coorsum. Est igitur qui vers. 2 dominus appellatur a vate, idem ille,

dicat de angelo hoc suo: « Loquebatur in me, » putant angeli angelum hunc suggerentem oracula Zachariae, non exterius voce, sed interius mentali vel imaginaria inspiratione illi fuisse locutum, eumque quasi possessisse et recessisse, uti demon possidet et regit aegrum, ut inquit S. Gregorius lib. XXVIII *Moral.* cap. II: « Dum, inquit, ad se quidem, sed in se tamen loqui angelum dicit, liquido ostendit quid is qui ad ipsum verba faceret, per corpoream speciem extra non esset. » Verum dico haec hoc modo contigisse: per visionem imaginariam a Deo objectam Zachariae, videbatur ipse sibi videre angelum suum prophetalem ortentem secum, et cum Michaele colloqui. Rogat enim hic angelus Michaelem, ut Zachariae explicet quomodo sint isti equi rufi, varii et albi. Unde Michael ab eo interrogatus respondet:

10. (2). ISTI SUNT, QUOS MISIT DOMINUS UT PERAMBULENT TERRAM. — q. d. Isti sunt angeli praesides regionum, quos Deus misit lustrare easdem. Cor Michael eosdem angelos interrogat, quasi eorum princeps, de regionum statu, quidnam in hac lustratione viderint, qui sese habent regiones illis credite. Cui ipsi respondet: « Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur et quiescit, » ut scilicet Zacharias sciat plenam esse pacem inter gentes, praesertim Iudaeae vicinas, illasque Iudaeis fore pacificas, ut eos bello non laesant, nec impediunt urbis templique fabricam. Dices: Cur ergo ait de hoc angelo: « Qui loquebatur in me? » Respondeo esse hebraismum: *in me*, hoc est *in me*, vel *meum*, ut verbi Chaldaei, *in me* significat visionem hanc non fuisse realem, sed imaginariam, in qua angelus haec omnia in mente, vel potius in imaginatione Zachariae pingebat et loquebatur. Videbatur enim Zacharias

qui vers. 2 vocatur vir. Porro ad interrogationem, *quid sibi voluit isti, mi domine?* quis tandem respondit? Respondet angelus. Itaque angelus qui dicitur, non differt ab eo qui vocatur dominus. Jam si angelus vers. 9, idem est qui dominus ibidem, dominus idem qui vir vers. 8; quis tandem est iste vir? Non differe virum vers. 8, 10, ab angelo vers. 9, 11 et seqq., periclit etiam ex eo quod idem de viro dicitur vers. 8, 10, quod de angelo vers. 11. Uterque stat inter myrteta. Quod de viro vers. 8, vates indefinite loquitur, causa nulla est alia, quam quod eo loco illum introducit. Alium virum esse de quo vers. 8, 10, alium angelum de quo vers. 9, 11, Hitzigius ex eo potissimum intelligit existimat, quod, quae equites angelo nuntiant vers. 11, viro debent esse nova, cum terram ille una cum equitibus pergrasse putandus sit. Sed nihil est quod cogat ut ita status: Vir (angelus) a Jova iussus est producere equites ad vatem, et quid sibi velit explicare. Hoc est eius officium, quod equo vehitur et ipse, nihil habet miri. Inter equites autem equitandum est. Sic Maurer, Rosenmuller eidem stipulatur sententiae.

(2) « Et respondit vir, » etc., id de quo vers. 8, idemque qui vers. 9 angelus Jova dicitur. Nam is qui promittit vati, se ostensurum esse ipsi, quid equites illi portendant, idem est procul dubio qui hic actor respondisse dicitur. Rosenmuller,

Vers. 11. Perambulavimus

sibi videre angelos ad invicem colloquentes, nunquam angelum sibi haec visa et colloquia ostendere et suggerere, non vero corporalibus oculis exterius haec videbat et audiebat.

11. PERAMBULAVIMUS. — Hebraice *ḥalach*, id est ambulare, perambulare, in principibus, quales sunt angeli, notat principatum, puta actum visitandi, inquirendi, perscrutandi, disponendi res omnes. Unde illud *Ezech.* xxviii, 14: « In medio lapidum ignitorum ambulasti, » q. d. Inter Cherubinos tu, o Cherub, principatum habuisti. Sic *Machab.* iii, 8: « Judas perambulavit, » quasi superior iudex et pindex, « civitates Juda, et perdidit impios ex eis. » Sic de Deo dicitur impij *Job* xxii, 14: « Circa cardines caeli perambulat, nec nostra considerat, » q. d. Deus regit caelos, terram respicit et negligit. *Levit.* xxvi, 12, ait Deus: « Ambulabo inter vos, » quasi princeps, protector, provisor vester. Unde subdit: « Et ero Deus vester, vosque eritis populus meus. » Sic ex adverso Satan ait *Job* i, 7: « Circuiti terram, et perambulavi eam. » Et *Psal.* xc, 6: « A negotio perambulante in tenebris, » id est a demone regnante et grassante noctu, aequa ac eo qui grassatur per diem; de quo subdit: « Ab incursu et demone meridiano. » Sic rex « Antiochus perambulabat superiores regiones » cum exercitu, *Machab.* vi, 1. Sic etiamum reges Mogor et Aethiopiae stipati, hic sexaginta, ille ducentis, imo subinde quingentis millibus armatorum, jugiter ditiones et regna sua, utpote vastissima perambulant, ut ea in pace continent, lustrant, dirigant et moderentur. Pari modo hi angeli provincias sibi creditas perambulant, quasi earum inspectores, custodes et praesides. Addit S. Hieronymus, Remigius et Hugo, angelos hosce, perambulando regna sibi commissa, debellasse gentes vicinas vel rebelles, vel hostiles, easque suis regnis subiecisse, itaque plenam omnibus pacem conciliasse. Denique vox *perambulavimus*, significat executionem divinae providentiae per angelos publice exercitam et demonstratam, licet ea ex obscuris causis et oculos iudicis prodeat, puta ex Dei consilio, quod « in profundo et inter myrteta, » et, ut Septuaginta, *inter montes umbratos latet.*

OMNIS TERRA HABITATUR, ET QUIESCIT. — « Omnis terra, » scilicet vicina Iudaeae. Nam in remotis fuerit bella. Unde Romani anno 9 huius Darii Hystaspis, inquit Eusebius in *Chronico*, Tarquinium Superbum suum regem urbe et regno expulerunt, ejusque loco creaverunt consules Junium Brutum et L. Tarquinium Collatinum. Quin et Darius hic paulo post obsedit et cepit Babylonem, ac tandem invasit Graeciam cum sexcentis millibus militum, qui omnes a paucis Graecis, duce Miltiade, apud Marathonem profligati sunt, testibus Justino, Herodoto et aliis.

Vers. 12.

12. ET RESPONDIT ANGELUS DOMINI, ET DIXIT: DOMINE EXERCITUM, USQUEQUO TU NON MISERERERIS JERUSALEM? — Angelus hic videtur fuisse non cer-

tos Zachariae, sed custos totius populi Iudaici, puta Michael. Orat enim pro toto populo sibi commisso, q. d. Cum omnes caeterae gentes in pace et prosperitate dequant, cur, o Domine, solos Iudeos sinus turbari a Cambyse, a Samaritis et aliis hostibus, qui urbis templique fabricam hucusque impediverunt? Usquequo differis misereri Jerusalem, quae a paucis civibus Babylonera demitibus habitatur, nec muris plene, nec templo est septa? I *Esdra.* v, Usquequo non efficit ut ipsa, alique urbes Iudaeae, ac praesertim templum in ea restauraret? En « jam septuagesimus annus est, » desolationi ejus a te decretus et praestitutus. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Albertus, Hugo et Lyranus.

ISTE JAM SEPTUAGESIMUS ANNUS EST. — Dixit haec angelus anno 2 Darii Hystaspis, ut patet vers. 1. Hoc ergo 2 anno impleti sunt hi 70 anni: unde sequitur eos diversos esse ab annis 70 captivitatis Babylonicae, de quibus Ieremias cap. xxv, 11, et *Directi* cap. xxix, 10, illi enim finiuntur anno 1 Cyri, qui captivitatem solvit, et Iudeos a Babylone a *charis* ab anno 70. *Jeremia*. IIi vero inchoantur ab excisa a Chaldeis urbe et templo, quod contigit anno 11 Sedeciae, qui fuit 18 Nabuchodonosoris, ac finiuntur anno 2 Darii Hystaspis. Quocirca, hic Zachariae vocantur anni 70 desolationis, scilicet urbis et templi: priores vero Ieremiae vocantur anni 70 captivitatis, scilicet Iudaeorum. Ita Eusebius in *Chron.*, Clemens lib. IV *Stromat.*, S. Hieronymus *Proemio in Aggaum*, S. Augustinus lib. XVIII *De Civit.* cap. xxvi, Emmanuel, Torneilius in *Chronico*, anno mundi 3462 (qui tamen hosce Zachariae annos inchoat ab ultima captivitate Iudeorum, quae scilicet post excisam Jerusalem profugi in Aegyptum, inde iuxta oraeulum Ieremiae a Chaldeis abducti sunt in Babylonem, quod contigit anno 27 transmigrationsis Joachin, sive Jechonias), Ribera, Sanchez, a Castro et alii hic, ac Ferdinandus *visione* XXII, sect. I Favet Zacharias cap. vii, 3, ubi anno 4 Darii Hystaspis de hisce 70 annis desolationis ait: « Cum jejunaretis et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos. » Ubi nota pronomen *hos*, quod designat annos presentes, non praeteritos ante Cyrum (1).

Aliqui tamen censent eosdem esse annos 70 Ieremiae et Zachariae, desolationis et captivitatis, eosque jam finitos fuisse anno 1 Cyri, unde verba haec Zachariae legunt per interrogationem, vel admirationem, q. d. Islene, Domine, est septuagesimus annus libertatis nostrae, a Ieremia cap. xxv,

(1) Erant quidam Iudaei in terram patriam restituti, sed vexabantur a finitimis populis, Hierosolyma sine muris erat, templum ad tertium abiecit mensura in cuius iacuere, et hoc ipso tempore ab adversariis Samaritis periculum imminabat, ut captam tempore reparacionem turbarent: cf. *Esdra.* iii, 8; iv, 1, 4, 5 et seqq. *Nehem.* (II *Bedr.*) i, 3, 8. Itaque ut ex his quoque malis populum suum liberet, Domine angelus rogat.

et Daniele cap. ix, 2, predictus? q. d. Non tantum septuagesimus, sed octogesimus et amplius est annus hic captivitatis nostre, et tamen necdum miseriarum nostrarum est finis. Licet enim e captivitate redierint nonnulli, multi tamen adhuc in Babylone degunt; et qui redierunt tot erumnis affliguntur, ut satis pene esset, eisque optabilius mansisse et vivere in Babylone. Ita Albertus, Hugo, Lyranus et Mariana. Verum nullam interrogationis vel admirationis notam habent Biblia Romana, licet illa habeant Biblia Plantiniana. Quare prior sententia uti communior, ita verior est.

Ex qua recte deducas annos 70 captivitatis inchoari anno 11 Joakim, quo ipse occisus est, et post tres menses ejus filius et regni haeres Joachin, sive Jechonias captivus abductus est in Babylonem: eosdem vero finiri anno 1 Cyri, ut ostendi cap. xxv et xxx *Jeremia*. Annos vero 70 desolationis, de quibus hic Zacharias, 41 annis posterius incipere, scilicet anno 11 Sedecias, et 11 annis posterius finiri, scilicet anno 2 Darii Hystaspis. Hinc rursus colligas Cyrum solvisse captivitatem Judaeorum, et expugnasse Babylonem anno 4 non regni sui, ut censent Eusebium in *Chron.*, Africanus, S. Hieronymus hic, Pererius et alii, sed monarchia; vixit autem monarcha per tres duntaxat annos, ut constanter asserunt Hebraei in *Seder-Olam*. Unde et Daniel tertii tantum anni Cyri meminit cap. x, 1. Scio Xenophontem Cyro dare 7 annos monarchiae; sed Xenophon in Cyro non tam ejus gesta et historiam, quam ideam insignis regis et monarchae describit, uti Plato in *Republ.*, ideam republicae non existentis, sed Platonicae, id est ejus quam sibi optimam imaginatus est Plato, depingit. Hosce enim 7 annos difficile est adaptare sacrae Scripturae: licet enim nonnulli idcirco annos 70 captivitatis citius inchoent, scilicet ab anno 3 Joachim, quo in Babylonem abductus est Daniel cap. i, 1; tamen computus annorum ex æquo non respondet. Nam ab anno 3 Joakim usque ad 11 ejusdem, fluxerunt octo anni, quos non aequant anni 7 Cyri: nam ex illis demendi sunt tres, quos cum Hebraeis eidem Cyro dedimus, computando annos 70 captivitatis ab anno 11 Joakim usque ad annum 1 monarchiae Cyri. Verum de his plura *I Esdr.* i, 1.

Moraliter, idipsum dicamus, idipsum oremus et obsecremus pro Anglia, Scotia, Dania, Suecia, Germania, etc., in quibus stetit statque heresis, et desolatio templorum, monasteriorum et sacrorum omnium per septuaginta annos et amplius: usquequo, Domine, non miseraberis Angliæ? etc. Iste jam desolationis ejus septuagesimus, imo pene centesimus annus est. Ergone plus peccavit Anglia, quam Jerusalem et Judæa, ut, cum illa septuaginta annorum captivitate peccata sua expliarit, Anglia centum annis expliare non possit? Peccavit utique et grande peccatum peccavit, faciens schisma a te tuaque Ecclesia; sed pro eo

sanguinem suum fuderunt tot centeni martyres, qui instanter orant pro ea, et clamant, non vindictam, ut sanguis Abel, sed misericordiam. Accipe has hostias pro peccato, eorumque sanguine schisma hoc ablue et dilue: quia pius et misericors animas amas, quas creasti, et Christi tui sanguine redemisti.

13. VERA BONA. — id est consolatoria Judaeorum, verba boni ominis, verba fausta, puta lectum boni tamdiu votis expetiti oraculum, de futura Hierosolymæ felicitate, cum ad eam Dominus revertetur in misericordiis, ut sequitur: « Bona, inquit S. Hieronymus, de futurorum promissione, consolatoria de presentium necessitate. » Sic Virgilius *ecloga* v:

Amat bonus otia Daphnis,

bonus, id est felix, beatus, doli expers, candidus. Quocirca verbum bonum, non tantum dignitatem rei, cujus oraculum edit, sed etiam oraculi veritatem, ac promissorum certitudinem magnitudinemque complectitur. Hinc *Psalmes Psalms*. XLV: « Eructavit, inquit, cor meum verbum bonum, » q. d. Verbum quod mente concepi, tam est ornatum et felix, tam suave, tanta saturitate et voluptate cor replet, ut cogor os aperire, illudque ebullire, ac velut ebrius eructare. Porro « verba bona » sunt ea quae subdit:

14. ZELATUS SUM JERUSALEM ET SIGN ZELO MAGNO, — Zelus hic duos actus contrarios complectitur, nimirum amorem ardentem in Jerusalem, et iram ingentem in ejus hostes; horum enim odium ex ejus amore necessario sequitur, q. d. Ego vehementer amo Jerusalem, uti maritus zelotypus amat ardentem uxorem, ideoque vehementer irascor Chaldaeis, eo quod illam tam crudeliter everterint, ejusque spoliis se ditant, cum ego modice et leniter tantum illam per eos castigare intenderem, uti pædagogus castigat puerum et discipulum. Hoc est enim quod ait:

15. QUIA EGO IRATUS SUM PARUM, IPSI VERO ADJURERUNT IN MALUM. — Ita Lyranus, Vatablus et alii. Chaldaeos vocat *gentes opulentas*, hebraice *שׂמְנִי סְכָנָאִין*, id est, ut Chaldaeus, *quae secure dequant*, præfisse sibi suisque viribus et opibus, nil timentes mali; Vatablus, *tranquillas*; Pagninus, *quietas*; Septuaginta, *quae superpositae sunt*, puta quae dominantur.

Moraliter, nota hic Deum post illatam plagam populo suo, defervescente furore, justam indignationem in ipsos convertere, qui Deum ipsum incitaverunt ad vindictam, vel eam exercebant, non ut Deo satisfacerent, sed ut suæ ambitioni et tyrannidi indulgerent. Exemplum est *II Paral.* XVIII, 9: « Iratus, inquit, Dominus Deus patrum vestrorum contra Juda, tradidit eos in manus vestras, et occidistis eos atrociter, ita ut ad celum pertingeret vestra crudelitas, etc.; peccastis super hoc Domino Deo vestro. » Et *Psalm.* LVIII, 27: « Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: et

super dolorem vulnorum meorum addiderunt irrisiones, probra, et subinde cum verbis verbera. Aliud est percutere, aliud persequi ad internecionem: illud est patris, hoc vero hostis: illud facit justitia, hoc livor: illud Deus sibi tribuit in Christi morte, dicens *Isai.* LIV, 8: « Propter scelus populi mei percussit eum, » et Christus ipse idipsum Patri ascribit hoc loco *Psalmi*: istud vero sanguinariis Judæis imponit.

16. REVERTAR AD JERUSALEM IN MISERICORDIIS: hebraice *בְּרַחֲמִים* *berachamin*, id est in *miserationibus visceralibus*, quae scilicet ex intimis visceribus meis promanant, eaque commovent, affligunt et affligunt, q. d. Inimam et visceralem compassionem et misericordiam multis modis dominique ostendam et exhibebo Hierosolymam, atque ea impulsus faciam id quod sequitur: DOMUS (templum) MEA AEDIFICABITUR IN EA, ET PERPENDICULUM EXTENDETUR SUPER JERUSALEM, — id est furtus aedificabitur Jerusalem. Est metonymia: nam ex perpendiculo, sive libella, quod architecti adhibent ut ad rectam lineam aedificent, et structurae adequent, intelligit totam fabricam. In perpendiculo enim ex funiculo dependet plumbum, vel pondusculum, quod, utpote grave, vergit ad suum centrum, puta ad centrum terrae et totius universi; unde architecti eo utuntur, ut areas in quibus aedificant, complant, et a centro mundi aequaliter distare faciant, quod *librare* vocant: ac fabricam quam areas, vel plano superaedificant, ad perpendiculum erigunt, ut omnes ejus partes aequidistantes a centro, solide consistent; ne si una curvetur, magisque vergat ad centrum quam alia, eo ruat, secumque alias partes, et totam fabricam in ruinam trahat. Quilibet enim res gravis pari pondere inclinatur et tendit ad suum centrum, quod omnibus idem est et commune. Quare duo parietes fabricae invicem oppositi, mathematicae non sunt paralleli; quia si protenderentur, in centro terra concurrerent, sed quia haec differentia in tanta distantia a centro, est exigua et insensibilis, hinc physice censentur paralleli.

17. AFFLUENT CIVITATES MERE BONIS. — Hebraice *תִּפְתְּזַנּוּ הַיְרֵשָׁתִים הַטֹּבִים* *tephetsena mitob*, id est *diffundent*, dispergent se pro copia bonorum, ad aedificandum alias urbes et pagos. Septuaginta vertunt: *Diffundent civitates in bonis*; Chaldaeus: *Implebuntur bono*. Id praestitit Deus tempore Zorobabellis, et postea tempore Machabeorum, sed maxime tempore Christi.

18. QUATOR CORNUA. — Hebraei et ex his S. Hieronymus per haec accipiunt quatuor monarchias, scilicet Chaldaeorum, Persarum, Graecorum et Romanorum, quae Judæos variis per varias etates affecere claudibus. Verum hoc parum est probabile. *Primo*, quia haec visio eo spectat, ut Judæos Babylone redeuntis in presenti erumna sublevet et consoletur. Ergo non spectat ad Graecos et Romanos, qui necdum erant, nec Judæos afflixerunt, sed post multa saecula futuri erant, imo post haec consolationem quam dat hic angelus: rursus quia Judæos afflixerunt, ac tandem funditus exciderunt sub Tito. *Secundo*, quia Persae, ut Cyrus et Darius, benevoli fuerunt Judæis, eosque e Babylone liberarunt, ac potestatem eis fecerunt urbis et templi reaedificandi. Ergo hi non fuerunt cornua contra Judæos cornutantia. *Tertio*, quia Persae, Graeci et Romani non potuerunt affligere Israel, utpote jam eversum et abductum in Assyriam, sed tantum Judam: haec autem cornua impetierunt Israel, aequae ac Judam, ut hic dicitur.

Dico ergo cum Theodoro, Clario, Ribera, anchez, a Castro et allis, per *quatuor cornua* significari quatuor plagas orbis, gentesque in his degentes, quae tam Judæos quam Israelitas, sive decem tribus bellis diriverunt, quales ab Oriente fuerunt Ammonitae et Moabites, ab Occidente Philistini, a Meridie Idumaei et Aegyptii, ab Aquilone Assyrii et Chaldaei. De his enim ait angelus: Haec sunt cornua quae ventilaverunt Judam, et Israel et Jerusalem. » Unde Chaldaeus pro *quatuor cornua* vertit, *quatuor regna* (1).

19. QUATOR FABROS. — Hi fabri fuerunt quatuor angeli, custodes et hyperaspistae Jerusalem et Judæae. Vocantur *fabri*, quia veniunt ad hoc, ut cornua quatuor ferrea, quae ita impetierunt Judæos, ut nemo eorum aunderet levare caput, deterrant, depriment et ampuent. Quocirca fabri hi ferrarii fuisse videntur: horum enim est ferro ferrea cornua resecare. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Remigius et alii.

20. ET VENERUNT ISTI DETERRERE. — Nota: aliqui legunt *deterere*, sed legendum cum Romanis *deterere*; et hoc significat hebraeo *לְחַרְוֹת* *lechavid*, id est ut tremorem eis incurrerent, ut facerent ea tremere: per *cornua* enim intelligit gentes hostiles quas tremore concusserunt hi fabri, id est angeli. *Primo* enim terrorem iniecerunt gentibus hostilibus, deinde timore depressas succiderunt. Porro ferrea fuisse haec cornua conjicere licet ex eo quod valide concusserint et excuserint Judæam et Samariam: ergo valida erant: ergo ferrea. Nam, ut ait Daniel cap. ii, 40: « Ferrum omnia domat. » *Secundo*, quia similia fecit ad similem effectum Sedecias pseudopro-

(1) « Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros. » Rosenmullerus: Hic Jova appellatur, qui antea modo *angelus Jova*, i, 11, 12, modo *angelus qui cum nato loquitur*, dicebatur, i, 9, 13, 14; ii, 2. Idem asserit Hesselbergus, qui eo usque progreditur, ut non dubitet *Jovam angelum* habere *secundum* divini nominis personam. Quos ita refellit Maurer: Neutiquam qui hic *Jova* appellatur, idem est qui supra dicebatur *angelus*. A Jova proficiscitur, idem est qui supra dicebatur *angelus*. A Jova proficiscitur, idem est qui supra dicebatur *angelus*. Jam si hoc loco *Jova* vati ostendit fabros, et mox quid sibi velit, exponit, quid, observo, mihi hoc habet? Vici angeli fungitur Jova, misso angelo docentia docere fingitur ipse Jova: cf. cap. ii, vers. 2: « Et dixit Dominus, » etc.

pheta, III Reg. XXI, 44 : « Fecit, inquit, Sedecias cornua ferrea, » ut ferrum et invictum robur regis Achab exprimeret, cui adulans ait: « His ventila bis Syriam. » Tertio, quia faber communiter ferrarium significat, nisi addatur murarius, lignarius, vel quid simile. Vatablus tamen et Arias, uti cornua naturalia accipiunt, ita et per fabros accipiunt cornuarios, vel tornarios, qui scilicet in cornibus tornandis, secundis, poliendis laborant. Porro angelos hanc bona prestifisse Hierosolymae, que hic promittit Zacharias, patet ex evo luto : nam mox urbs et templum pacifice et splendide restaurata sunt, aequae ac aliae urbes Judaeae. Unde cap. sequenti vidit Propheta virum fune dimitentem Jerusalem, hoc fine, ut eam reedificat, tantumque in ea numerum civium, ut urbs omnes non caperet.

Moraliter, omne sub regno graviore regnum est.

Moraliter, discite hic primo nullam esse potentiam regum vel tyrannorum, que non habeat aliam potentiorum supra se, ad quam oppresso confugere et appellare liceat. « Omne sub regno graviore regnum est. » Et Horatius, lib. III, ode 1 :

Regum timendorum in propriis greges, Reges in ipsos imperium est Jovis.

Quocirca Eccles. cap. V, 7 : « Si videris, inquit, calumnias egenorum, et violenta judicia, et subverti iustitiam in provincia, non mireris super hoc negotio ; quia excelsio excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii ; et insuper universae terre rex imperat servienti. »

Mira vis angelorum.

Secundo, magnam esse vim et potentiam angelorum in omnes reges et regna, utpote qui solo ostentato malleo, vel ferro, quo decussuri sunt cornua regum, illico ipsos terrore et tremore percellunt : hoc enim significat « deterrere, et efficacius hebraeum hacharid, id est tremore concutere, Hino Daniel, licet vir sanctus et fortis, videns angelum, cumque alloquens cap. X, 17 : « Domine mi, ait, in visione tua dissoluta sunt compages meae, et nihil in me remansit virum ; sed et habitus meus intercluditur. » Et mox de sociis : « Porro viri qui erant mecum non viderunt ; sed terror nimis irruit super eos, et fugerunt in absconditum. » Sic passim in Scriptura viso angelo de vidente dicitur : « Timor vel terror irruit super eum ; » uti dicitur de Zacharia Luca 1, 42. Ubi S. Ambrosius : « Perturbamur, ait, et a nostro alienamur affectu, quando perstringimur alicujus superioris potestatis occurso. » Quin imo veterum opinio et sensus erat, adeo potentes et terribiles esse angelos, ut ei qui eos videret necessario moriendum esset. Inde enim est illa vox Manue, qui fuit pater Samsonis : « Morte moriemur, quia vidimus Dominum, » puta angelum, Jud. cap. XIII, 22.

Mystice, quatuor cornua sunt quatuor passiones anime.

Mystice S. Hieronymus : Quatuor cornua, inquit, que singulos domum Dei spirituales edificare volentes impetunt, sunt quatuor passiones anime : puta gaudium, tristitia, metus et spes

sive cupiditas, quas hoc versu complexus est Poeta :

Hi metunt, cupiunt, gaudentque, dolentque.

Quis enim est, etiam fideiolum iustorum, qui non agitur nunc metu, nunc spe, nunc laetitia, nunc tristitia ? Quatuor fabri sunt quatuor virtutes cardinales, que hanc passiones edomant, nimirum prudentia, iustitia, fortitudo et temperantia. Ita S. Hieronymus. Aut magis proprie et pertinenter, sunt haec quatuor. Primo, penitentia que sternit gaudium. Secundo, abnegatio sui et resignatio in voluntatem Dei, que interimit tristitiam. Tertio, magnanimitas et confidentia in Deum, que profigat timorem. Quarto, contemptus mundi, qui suppressit spem. Qui enim cum Magdalena desit sua peccata, hic spernit omnia mundi gaudia, totusque mundus ei amarescit. Qui abnegat se suaeque commoda, ac se resignat in voluntatem Dei, hic de nulla re fristatur ; sed omnia aequo animo suscipit de manu Dei, qui diligentibus se facit omnia cooperari in bonum. Qui magnanimus est Deoque confidit, nil metuit. Qui contemptum omnia que in mundo sunt, eaque ut vana, vilia, brevia et exilia despiciat, hic nihil in mundo sperat. Porro apte addit S. Hieronymus : « Qui vitia destrunt, virtutes aedificant, omnesque sancti qui hanc remedia possidentes instaurant semper Ecclesiam, fabri appellandi sunt. Unde et Apostolus loquebatur : Quasi sapiens architectus fundamentum posui. Et iratus Dominus de Jerusalem ablatum se dicit architectum, et virum sapientem. Et ipse Dominus Dei omnipotentis filius et creatoris omnium, fabri filius appellatur. » Addit S. Hieronymus : « Legi in iustidam commentariis, quatuor fabros quatuor Evangelistas intelligi, qui oppressum Israel, sensum videlicet videntem Deum, et Judam Dominum continentem, et Jerusalem visionem pacis, in pristinam sedem restituant, et quos vitiorum Genes disperserat de Ecclesia, per predicationem Evangelii retraxerunt ad salutem. » Pari modo accipias quatuor Ecclesiae doctores, S. Augustinum, S. Hieronymum, S. Ambrosium, S. Gregorium. Hi enim quasi fabri edificaverunt Ecclesiam sua doctrina et libris.

Item quatuor vitia est

Secundo, magis apposite per quatuor cornua possumus accipere quatuor vitia capitalia, que maxime impetunt Ecclesiam et fideles, et quatuor eorum presides demones, quos designat Psaltes Psalm. LXX, 13, dicens : « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem, » inquit S. Hieronymus. Aspis enim notat invidiam et iram ; basiliscus qui visu inierit luxuriam, oculi enim sunt in amore duces ; leo, superbiam ; draco, gulam et avaritiam. Quatuor fabri sunt quatuor virtutes et angeli, contra quatuor haec vitia decerantes, nimirum charitas contra invidiam, castitas contra luxuriam, humilitas contra superbiam, abstinentia

contra gulam et avaritiam : sive Uriel contra Beelzebub, Raphael contra Asmodeum, Michael contra Luciferum, Gabriel contra Bacchum et Mammonam.

Symbolice, quatuor

Symbolice, quatuor haec cornua sunt quatuor universales persecuciones et persecutores Ecclesiae, qui eam successive a Christo inmensae impellerant, quos S. Joannes, Apoc. vi, presignavit per quatuor equos et equites, scilicet album, rufum, nigrum et pallidum. Albus enim significat Christum debellantem Judaeos ; rufus significat Gentiles, praesertim imperatores ut Neronem, Decium, Dioclelianum, quorum faber et succisor fuit Constantinus Magnus. Niger significat hereticos, praesertim Arianos, quorum faber et debellator fuit S. Athanasius, S. Basilus, S. Hieronymus, S. Augustinus, etc. Pallidus significat Mahometanos, quorum fabri ex parte fuerunt reges Hispaniarum ; sed fabrum qui plene eos succidat,

adhuc expectamus : utinam brevi Deus eum ostendat ! Prima enim Ecclesiae persecutio fuit a Judaeis ; secunda, a Gentilibus ; tertia, ab Arianis ; quarta, a Saracenis.

Simili modo, tempore primitivae Ecclesiae, quatuor cornua eam impentia fuerunt quatuor heresiarchae, scilicet Arius negans Christi divinitatem ; Nestorius ponens duas personas in Christo, aequae ac duas naturas ; Eutyches constituens unam naturam in Christo, aequae ac unam personam ; Macedonius negans divinitatem Spiritus Sancti, quorum quatuor fabri et succiores fuerunt quatuor Concilia Oecumenica, nimirum Nicaenum contra Arium, Ephesinum contra Nestorium, Chalcedonense contra Eutychetem, Constantinopolitanum contra Macedonium ; in quibus praecipuus faber Arii fuit S. Athanasius, Nestorii Cyrillus, Eutychetis S. Leo, Macedonii S. Gregorius Nazianzenus.

Item quatuor vitia haereses.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Vidit Zacharias angelum cum funiculo mensorio, ut metiatur Jerusalem a Nehemia et Zorobabele reaedificandam, cumque ea funiculo caequo, utpote convoluto, conjiceret timeretque Zacharias erigam fore novam Jerusalem, mox audit alterum angelum promittentem, quod absque muro ipsa habitanda sit praecopia hominum et fumentorum, quodque Dominus sit futurus ei murus ignis in circuitu, et gloria in medio ejus. Quare invitat Judaeos, qui metu Chaldaeorum aliarumque gentium hostilitum timebant redire et Babylone, ut audacter redeant in Jerusalem ; Deum enim illum instauraturum cum templo, ac in eo habitaturum, ideoque effecturum ut nec Chaldaei, nec Samaritae, nec aliae gentes vicina vel fabricam impediant, vel Judaeorum pacem turbent (1).

Nota haec ad litteram intelligenda esse de Jerusalem urbe Judaeorum : de ea enim haec tenent, idque fuit orationis et plana tenent verba deponunt. Allegorice tamen, et potius intelligenda sunt de Ecclesia, que est vera Dei Jerusalem, in eaque orta est, et illi successit, de qua Apostolus Galat. IV, 26. Et quia ad Ecclesiam maxime respicit Spiritus Sanctus, hinc quaedam hic augustiora interserit, que temeritate Hierosolyma, plura autem et plene conveniant Ecclesiae. Ad illam enim data typi alicujus occasione, assurgere et avolare solent Prophetae. Qualia sunt vers. 8 : Post gloriam misit me ad gentes. Erunt praedice his qui serviebant sibi. Qui teligerit vos, tangit pupillam oculi mei. Lauda et letare, filia Sion : quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui. Et applicabuntur gentes mulie ad Dominum in die illa, etc. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Hagnio, Lyranus, Vatablus et alii passim, excepto Ribera et paucis aliis, qui haec omnia in sensu non allegorico, sed litterali accipienda censent, non de Jerusalem, sed de Ecclesia Christi, idque ob verba textus quae paulo ante citavi. Verum illa non urgent, uti ostendam in eorum explicatione. Vide Canon. IV et V, quos praefixi Prophetis Majoribus.

1. Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum. 2. Et dixi : Quo tu vadis ? Et dixit ad me : Ut metiar Jerusalem, et videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo ejus. 3. Et ecce angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, et angelus

(1) Emblematis secundi exhibitionem in hoc capite refert Propheta, quo non solum instauratio, verum etiam florantissimus status urbis Hierosolymitanae describitur. Primum, videtur Prophetae vir in urbe demetitanda occupatus, 1, 2 ; et hujus emblematis expositio datur de

immensa urbis amplitudine, 4 ; et de suscepta ejusdem a Deo tutela, 5. Secundo, cum tam praecura Judaeis Deus promittat, cornua est quotquot patriae amor tenet, missa Babylone ad patriam terram se protinus referre ; quapropter adhor-